

29

vit. Lege perlatâ *iii* Viri creati sunt Ti. ipse Gracchus, ejusque frater C., & Ap. Claudius focer ad agros discernendos, dividendosque. Plutarchus in Ti. Gracch. *Legem deinde agrariam populus jussit, & ad discernendos, dividendosque agros *iii* Viri delecti sunt Ti. ipse Gracchus, Ap. Claudius focer, & frater Cajus, qui tum sub Scipione ad Numantiam militabat.* Appianus lib. I. Civil. pag. 357. *Lex agraria perlatâ est, triumvirique agris dividendis creati Gracchus ipse, C. Frater ejus, & focer Ap. Claudius.* Tiberio paullo post interfecto, in illius locum suffectus est P. Licinius Crassus C. Gracchi focer. Plutarch. in ead. vitâ Ti. *Senatus quidem, ut animos populi placaret, cum aliis usus est rationibus, tum ne agrorum quidem divisionem porro negavit, concessitque, ut in Ti. Gracchi locum alius, qui praeffet ei negotio, deligeretur.* Populi suffragiis P. Crassus est constitutus, *cujus filiam Liciniam C. Gracchus in matrimonio habebat.* En igitur *iii* Viri in Inscriptio-
ne nostrâ memorati P. Licinius, Ap. Claudius, C. Gracchus. Profecto agrorum dimensionem, divisionemque fecerunt. Id vel ex eo maxime colligitur, quod alii *iii* Viri postea creati, nempe M. Fulvius Flaccus, C. Papirius Carbo, idemque C. Gracchus, divisionem continuarunt, ut ex Appiano constat, *cujus locum recitare non piget.* Ait itaque Appianus pag. 360. *Post Gracchi necem, Appio Claudio quoque vitâ functo, Fulvius Flaccus, & Papirius Carbo, cum minore Graccho, legis agrariae susceperunt patrocinium. Quumque veteres possessores agros recenseri tergiversarentur, iudices ad accusandos eos per praconem invitaverunt: ac mox enatae sunt lites difficiles plurimae; quidquid enim conterminorum agrorum, aut dividendum fuerat, aut divisum sociis, totum in controversiam veniebat disceptando, quo pacto venditum esset, aut divisum: quum nec instrumenta exstarent omnia, & nonnulli excidissent e suarum portionum possessionibus; quod si quae exstabant, & ipsa erant juris ambigui; quod, dum agri de integro ad mensuram dividerentur, Colonorum alii ex constitis, & suis villis, instructis fundis, transferebantur in terram nudam, alii e cultis in incultam, aut cenosam, palustremve; quia jam inde ab initio ager de hoste captus negligenter divisus fuerat: & quoniam edictum fuerat, ut coleretur id agri, quod dividendum erat, dum multi inter colendum evehantur etiam in contigua, confundebatur locorum facies, atate quoque multa mutante, ut difficile esset divitum injurias, quamvis magnas, deprehendere &c.* Hinc intelligimus *iii* Viros illos, ut divisionem accu-
ratio-